ALEXANDER PP. VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



VM (sicut accepimus) per Constitutiones Congregationis Clericorum Regularium Pauperu Matris Dei Scholarum Piarum Apostolica auctoritate confirmatas expresse disponatur, quo Clerici Congregationis præfatæ pedibus discalceatis incedere debeant; Ac fel. rec. Alexand PP. VII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Breuis die xxviij. Aprilis MDCL expeditas litteras, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, institutum huiu modi inuiolatè seruari præceperit; subinde verò rec. mem. Clemens PP. IX. etiam Prædecess noster per suas pariter in forma Breuis die xxiij. Octobris MDCLXIX. expeditas litteras, qu rum tenorem præsentibus itidem haberi volumus pro expresso, supradictas Alexandri Prædece soris litteras inconcussè obseruari mandauerit; Verùm experientia compertum fuerit, morem huiusmodi pedibu denudatis incedendi eorumdem Clericorum valetudini plurimum obesse, aliaque exinde incommoda in laudabiliu prædictæ Congregationis Institutorum perniciem resultare, adeoùt dictæ Congregationis Superiores calceorum vsum plerisque ipsius Congregationis Clericis pro conseruatione eorum sanitatis, siue ob alias rationabiles causa frequenter permittere cogantur, atque inde aliud vlterius in Congregatione supradicta omnimodæ in vsu vestium conformitati tantoperè in Familijs Regularibus commendatæ præiudicium inferatur. Hinc est, quod Nos, audi super præmissis dilecti Filij nostri Gasparis S.R.E. Presbyteri Cardinalis Carpinei nuncupati in Alma Vrbe Vicarij i spiritualibus generalis, & dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris relatione, in eisdem præmissis opportunè prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, dequ Apostolicæ potestatis plenitudine, vt de cetero omnes, & singuli memoratæ Congregationis Clerici vbique locorun calceati incedant, ita tamen vt calcei sint nigri coloris humilitatem, & simplicitatem præseferentes, ac prorsus sin ocellis, & clausi, non alio quàm coriaceo eiusdem nigri coloris ligamine adstringendi, ac prominentiori calcaneo ca rentes: tibialia verò nonnisi ex lana nigri pariter coloris permittantur, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordi namus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quo spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectiuè inuiolabiliter obseruari; Sicque in præmissi per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & defini debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit atten tari. Non obstan. præfatis Alexandri, & Clementis Prædecessorum litteris, alijsque ordinationibus, & Constitutio nibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alis roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmisso rum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pr plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præ missorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscumque. Volumu autem, vt præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitat constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si foren exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xxij. Februarij MDCXC Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. F. Card. Albanus.

ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ. M. DC. XC.



